Q. D. B. V.

DISSERTATIO INAVGVRALIS JVRIDICA,

DE

# RESTRICTA LIBERORVM DISPOSITIONE IN PECVNIA LVSTRICA,

QVAM

RECTORE VNIVERSITATIS MAGNIFICO,

*REVERENDISSIMO ET AMPLISSIMO DOMINO,*

**DN. PLACIDO,**

REGALIS MONASTERII S. S. APOSTOLORVM PETRI ET PAVLI ORD. S. BENEDICTI INTRA ERFORDIAM ABBATE, PRÆPOSITVRÆ ZELLENSIS AD VVERRHAM DOMINO, S. FACVLT. THEOLOG. H. T. DECANO, ETC.

*EX CONSENSV ILLVSTRIS JCTORVM ORDINIS,*

SVB PRÆSIDIO


**DN. ERNESTI TENZELII,**

JCTI,

EMINENTISS. AC CELSISS. PRINC. ELECT. MOG. CONSIL. REGIMINIS, JVDICII PROVINC. AC FACVLT. JVRID. ASS. EJVSDEMQVE H. T. DECANI, NEC NON CIVITATIS CONSVLIS PRIMARII,

*PRO LICENTIA*

SVMMOS IN VTROQVE JVRE HONORES ET PRIVILEGIA DOCTORALIA RITE CAPESSENDI,




*PVBLICO EXAMINI EXPONIT*

AVTOR

**JOH. EHRENFRIED KIRSTEN,**

ADV. IMMATR. ET REV. CAP. VVURCENS. SYND. ADJVNCT.

*DIE XXI. AVGVSTI, M DCC XXVII.*

IN AVDITORIO JCTORVM MAJORI, HORIS CONSVETIS.

*ERFORDIÆ*, Typis GROSCHIANIS, Acad. Typogr.



# PROŒMIVM.



Uſpicante DEO à quo omnia capienda primordia, ex conſenſu Magnifici JCtorum ordinis, diſſertationem hanc Inauguralem DE RESTRICTA LIBERORVM DISPOSITIONE IN PECVNIA LVSTRICA eruditorum cenſuræ exponens, in eadem demonſtrabo, quod liberi non pro lubitu circa pecuniam luſtricam, Germanis Pathen=Geld / diſponere poſſint, ſed quod parentibus libera ejusdem ſit diſpoſitio, ad quod definitio pecuniæ luſtricæ, ac ejusdem declaratio multum conducet.

# CAP. I.

## DE DEFIN. ET ETHYMOL. PECUNIÆ LUSTRICÆ.

§. I.

EST *pecunia lustrica*, das Pathen-Geld, donum quod Baptizatis vel eorum parentibus â suſceptatoribus offertur, in compenſationem ſumptuum, quos parentes occaſione baptiſmi, vel etiam in teſſeram datæ fidei, & Baptiſmi adminiſtrati teſtimonium, datur.

§. II.

*Lustricæ* id nomen ab antiquo mihi Romanorum more deſcendere videtur, qui diem, quo infantibus nomina imponebant, â *lustrationibus*, quibus infans nomen adepturus per aniculas expiabatur, de quo videri poteſt. VOSSII *Ethymologicon* voce *Lustricus*, cum aliis antiquitatis Romanæ ſcriptoribus.

§. III.

*Lustricum* ergo denotat id, quod die *Lustrico* ſeu nominali peragitur, inde nomen hoc ad munera patrinorum, quæ eo die offerri ſolent, quo infantibus baptiſmus & nomen confertur.



§. IV.

§. IV.

Et hac ab Ethnicis in Christianos propagata voce, quibusdam placet, ipsum baptismum *lustrationis symbolum* appellare, prout hoc demonstrat ANTON. VAN DALE *in historia baptismor.* item *in sua Dissertatione super Aristea p. 420.* quæ desumsit ex ORIGENE *libr. 3.* contra CELSUM.

§. V.

*Pecuniæ* autem nomine veniunt *Dona* illa, quæ in pecunia numerata plerumque consistunt, etsi aliquando pretiosa quoque dentur, nec non arte facta; Quid quod, inter Magnates Principes res etiam immobiles, fundi, universæ insuper Provinciæ â Patrinis infantibus loco pecuniæ Lustricæ assignari soleant, allegante id JOH. GEORG. SIMON *in dissert. sua de Patrinis, habit. Jen. 1672. Cap. 5. §. 4.* de quibus hoc loco non loquimur, cum, ut cum IMPER. JUSTINIANO *ex L. 7. C. de bon. quæ liber.* loquar, privati, de quibus nobis jam sermo est, hoc culmen non habent, ut donent integra prædia vel fundos, sed numeratam tantummodo intelligimus pecuniam.

§. VI.

Offertur hæc pecunia infantibus, uti quidem ex Schedulis colligere volunt, quibus ejusmodi donum includitur, & quæ pro salute baptizati pia vota continent.

§. VII.

Sed posito minime tamen concesso, quod parvulis offeratur, ex ea tamen neutiquam fluit, etiam parvulis eandem semper acquiri, si enim mores oblationis spectes, qui hinc inde varii sunt, facile deprehendes, quod alicubi non baptizatis, sed matri offeratur, id quod iis in locis, ubi pecunia lustrica per Leges sumtuarias, uti in Norvegia & Brandenburgia, aliisque locis, interdicta est, in fraudem legis fieri solet, sub appellatione des Wasch-Pfennigs, & pro diversitate personarum, dignitate vel dantis, vel familiæ baptizati, vel arctioris sanguinis nexu, vel seculi luxu fieri solet.

§. IIX.

Ad quem luxum meritoque referimus, quod peractis baptismatis solennitatibus compatres cum patre assideant, commessationes & compotationes instituentes, quod primitivæ Ecclesiæ *Agapis* primam originem debet. Constat enim ex JUSTINI MARTYRIS *Apolog. 2. p. 97.* baptizatos post peractum baptismum, cum reliquis fratribus, ad capiendum cibum & potum accubuisse, de quo, qui plura scire vult, evolvat Excell. D. BÖHMERI *Dissertat. 4. ad Plinium.*

§. IX.

Et cum successu temporis mos ille optimus in pessimas epulas degeneraverit, ex quo ad supra dictas Agapas admittebantur baptizati, tum ut inde patefieret,

ret, eos in ecclesiæ nunc gremium receptos esse, tum, quod Agapis illis conjuncta erat sacræ cœnæ administratio, quæ iis post baptismum communicabatur, & quidem senioribus sub cibo & potu, parvulis vero, cum alium cibum & potum sumere non possint, in melle & lacte data fuit, teste SALMASIO quem citat ANTON VAN DALE *in alleg. Histor. baptismor. p. 396.*

§. X.

Ego arbitror, quod cum in istis conviviis â simplicitate & sobrietate recesserint veteres; nec convivæ substiterint in poculo ὑμνήσεως, seu gratiarum actionis, sed genio liberalius indulsisse, ad poculum hilaritatis & ebrietatis usque. Ejusmodi excessus ansam dederint muneribus seu pecuniæ lustricæ in compensationem sumptuum, quos in epulas diei baptismatis impenderant parentes, de quibus cap. sequenti plura dicenda.

# CAP. II.

## DE ORIGINE PECVNIÆ LVSTRICÆ.

§. I.

Dixi in §. ult. Cap. I. probabile esse, quod ex Agapis, & postea in pejus conversis depotationibus & epulis, provenerit pecunia lustrica, cum tam jus Civile, quam Canonicum, mentionem quidem faciat patrinorum, non vero pecuniæ lustricæ.

§. II.

§. II.

Nec STRYCK. in B. BRVNNEMANNI *Jus Eccles. L. 2. Cap. 2. membr. 2. verb. Munera baptismalia:* id negat, sunt enim verba ipsius: *De cetero negari nequit, ab initio ecclesiæ hunc morem munusculum quoddam infanti baptizato offerendi, in usu non fuisse; Jus Canonicum de Patrinis disponens, ejus plane nullam facit mentionem, sine dubio tamen inde occasio orta, quod in severissimis illis persecutionibus Christianorum, compatres munere aliquo consulerint baptizatorum inopiæ, quibus postea non æque semper succurrere poterant, cum vix una sede morari ipsis tunc temporis licuerit, sicut & quotidianum ipsius metuendum erat martyrium.* Item sentit Dn. D. JOH. RADOV Prof. quondam Rostochiensis *in Differtat. sua de pecunia lustrica 1676. C. 2. §. 1.*

§. III.

Neque vero simile est, eam originem sumsisse cum ipsis patrinis occasione persecutionum, quæ primis ecclesiæ Christianæ temporibus fideles premebant; quomodo enim securi erant Patrini, se non æque ac parentes liberis ereptum iri, quibus æque persecutioninis periculum imminebat?

§. IV.

Ac rebus sic stantibus, opus non erat, ut ista cautione parentes liberis prospicerent suis, cum iis temporibus amor mutuus & fraternus in animis fidelium adhuc vigeret; de qua re plura loca ex patribus hauri-

ri

ri possunt, quæ ARNOLDUS *in observatione* von dem Bruder- und Schwester-Nahmen in der ersten Kirche §. §. 26. & 27. quæ in celeberrimi CHRISTIANI THOMASII *Historia* der Weißheit und Torheit deprehenditur, excerpsit; Et quisque fidelium absque hoc patrini officio obligatum se esse credebat ejusmodi infantibus de victu prospicere, & quemadmodum parvulos offerri existimabant ad percipiendam spiritualem gratiam, non tam ab eis qui eos gestabant, alebantur, sed universus fidelium cœtus alimenta ipsis suppeditabat. *C. 129. dist. 4. de Consecrat.* & demum subsequentibus temporibus opus erat, ut illud officium patrinis inculcaretur, ut susceptis sollicitudinem veræ Christianæ charitatis impenderent. *C. 105. dist. 4. de Consecr.*

§. V.

Ex dictis itaque satis apparet, persecutiones non ansam dedisse patrinos eligendi, nunc videre restat: an persecutiones dederint occasionem pecuniæ lustricæ, & statuo, quod horum munerum origo potius referenda sit ad tranquilliora Ecclesiæ tempora, quin imo seculo scilicet secundo post Christum natum, simplices admodum adhuc erant baptismatis ceremoniæ, quæ sensim tranquillioribus temporibus magis magisque solenniores fiebant.

§. VI.

Nostrum non est, omnes hasce sigillatim recensere ceremonias, sed quasdam tantum, tanquam potio-

res attingemus, quæ ad actum ſplendidiorem reddendum conducebant; hæc ſunt:

α) Veſtis candida ein Weſter-Hembde, quam baptizati per integrum octiduum geſtabant, ex quo & hodiernis moribus ſupra caput infantis das Weſter-Hembde poſt adſperſionem tegitur.

β) Cerei, qui præferebantur baptizatis, ad ſignificandam ſpiritualem illuminationem.

γ) Serta, quibus caput cingebatur, ad ſignificandam deſponſationem ſpiritualem cum eccleſia fidelium, aliaque ornamenta quæ ad decorandum actum conducebant.

§. VII.

Accedebat præter has, alius ſumtus, qui ſenſim introducebatur, ſcilicet honorarium pro baptiſmo ſolvendo. Pauperes itaque harum impenſarum prætextu baptiſmum declinabant, de qua re GREGORIVS NAZIANZENVS *orat. 19.* conqueritur vid. ARNOLDI Abbildung der erſten Chriſten, *Cap. 14. v. 23.*

§. IIX.

Et quanquam in variis Conciliis exactiones pretii pro collatione baptiſmi & Chriſmatis interdicerentur, apparet tamen, illum morem penitus abrogari non potuiſſe, cum prohibitiones identidem repetendæ fuerint, prout factum in CONCILIO ELIBERINO, CARTHAGINENSI III. BRACARENSI II. TOLETANO, in Epiſtola I. GELASII

LASII ad Episcopos per Lucanium &c. quæ prohibitiones maxima ex parte relatæ sunt â GRATIANO *C. 91. 101. 102. atque 104. C. 1. q. 1.* Et quod magis ex *C. 103.* qui est ex CONCILIO BRACARENSI II. manifestum est, clericos sæpe pignoribus solutionem capitis extorsisse, & pauperes hæc spolia pertimescentes, filios â baptismo retinuisse. Quare circumstantiæ conjecturam præbent de origine donorum baptismalium; Quippe nec parentes pauperes baptismum filiorum ex his prætextibus negligerent, ad modum veritati conveniens est, a patrinis dari cepisse munera quædam, quibus sumtus in solennitatem baptismi impendendi pauperibus refunderentur vel suppeditarentur.

§. IX.

A pauperibus transitum nunc faciemus ad divites, & horum respectu ex conviviis baptismalibus invaluisse arbitramur dona lustrica; quorum solennitates ex supra dictis Agapis primæ ecclesiæ originem debent, qui abusus ex CONCILIO LAODICENO *canone 28.* tollebatur, quod præcipit, quod non oporteat in Dominicis aut Ecclesiis agapen facere, aut in Domo Dei comedere, vel accubitus sternere.

§. X.

Cum ergo successu temporis hæc convivia ex pristinis temporibus nullam simplicitatem retinerent, factum est ex post, ut mores & consuetudines aliorum conviviorum in conviviis baptismalibus observarentur, inter quos hic præcipue numerandus, ut munera

à convivis offerentur, quem STUCKIUS *in antiquit. convival. L.3.C.24.p.631.* clare describit.

§. XI.

Vel potius illa antiqua ratio, quæ in agapis antiquorum seculorum obtinuit, ut pro lubitu quisque finitis epulis contribueret apud præpositum donum, ut ipse pupillis exinde tribueret, aliisque personis miserabilibus, quid quod non pupillis solum, sed etiam parentibus ipsorum stipendia daret.

§. XII.

Qui mos antiquus pecuniæ lustricæ pro stipendio pauperibus tribuendæ, ad Germanos post hæc est transpagata, ita, ut deinceps in universalem consuetudinem abiret, & se eo magis apud Germanos insinuaret, qua proniores erant Germani ad luxum, nec minus sæpe ad convivia quam ad negotia procedebat, de quo conqueritur TACITUS *de Moribus Germanorum cap. 22.*

§. XIII.

Posthæc ita publica auctoritate stabilita fuere hæc convivia publica, & compotationes baptismales, ut tempore *Henrici Aucupis* ipse voluerit novis civitatum incolis libertinis, uberiorem victum procurare, ac omnes conventus atque convivia in urbibus ejus jussu celebrari, quod ex WITTEKINDO CORBEJENSI *Libr. I. rerum Saxon. observat* CONRING *de urbibus Germanorum: §. 82.* inter quæ convivia nuptialia & baptismalia frequentissima erant.

§. XII.

§. XIV.

Noviori quoque ævo eo luxuria pervenit, ut principes metam ponerent, & leges sumptuarias hac de causa ferre non supersedere potuerint, quia luxuriæ admodum ex orbitanti frena injicienda erant, quales depinguntur in AVGVSTI ELECTORIS SAXONICI *General-Artic. de Anno 1557.* & in Articulo, quem Carolus V. reformationi politicæ de Anno 1530. inseruit. Cap. von der Taufe ibi: von übrigen Kosten derer Hochzeiten, Kinder-Tauf, und Begräbnüssen. Dispositio articuli hæc est: Nachdem auch mit Gastungen und Schenckungen zu Hochzeiten, Hingaben, Kind-Taufen, Kind-Betten, Fast-Nacht und Begräbnüssen, Kirch-Weihen, viel übriges Unkostens gemachet wird, welches zu mercklichen Nachtheil gemeines Nutzes je länger je mehr beschwerlich erwächset/ und zunimmt, damit aber solches desto füglicher und daß abgestellet und gebessert werden möge, so ordnen, setzen, und wollen wir hiermit ernstlich gebiethend, daß ein jeder in seinem Fürstenthum, Grafschafft, Herrschafft, Oberkeit und Gebiet die obgemeldten Kosten der Hochzeiten, erster Meß, Kind-Tauf, Kind-Bett und Kirch-Messen abstelle, auch denenselbigen eine ziemliche gute Ordnung mache, und daß solches alles mit darauf gesetzten Bussen und Strafen unnachläßlich gehandhabet werde.

§. XV.

Præprimis vivis coloribus abusus hos adumbrat

AVGVSTI ELECTORIS SAXONICI *General-Articul de Anno 1557. Cap.* von der Taufe, ibi: daß bey vielen das Hochwürdige Sacrament der heiligen Taufe um das Einbinden/ Geschenck/ und sonderlichen Nutzens, etwan auch um ziemmlicher Pracht und Hoffarths willen mit grosser Menge derer Gevattern in ärgerlichen Mißbrauch gezogen, und etliche hierdurch Crähmerey rc. rc.

§. XVI.

Luxum exponit ejusdem Policey-Ordnung 3ter Theil p. 32. daß der mehrere Theil der Leuthe dahin gesinnet sey, wie einer den andern mit dem Pracht in Kleidung und Zehrung bey Kind-Taufen nichts nachgeben möchte.

§. XVII.

Ex quibus omnibus evincitur, munera lustrica dari potissimum in compensationem sumtuum convivialium, quia ipsi Legislatores, qui abusibus hac in re occurrentibus obicem ponere intendunt, pro talibus agnosant, dum utrumque, emendationem & abrogationem conjungunt, ac munera æque ac convivia inter abusum referunt, quod sane non fecissent, si ea pro donatione ad pias causas reputassent.

CAP.

# CAP. III.

## QVOMODO RESTRINGATVR DISPOSITIO LIBERORVM IN PECVNIA LVSTRICA.

### §. I.

CVm ergo definitam habeamus pecuniam lustricam, & de origine ipsius circumspexerimus, atque in antecedentibus satis clare demonstratum sit munera lustrica â prima origine data fuisse ad sublevandos & remunerandos parentes ratione impensarum factarum, nunc ex hodiernis moribus dijudicabimus, an finis eorum & hodie adhuc sit, quod ut eo clarius pateat, provocamus tum ad consensum legum provincialium Saxoniæ, tum ad intentionem patrinorum ac parentum, horumque rationem dispensandi munera oblata.

### §. II.

Quod ad consensum attinet, adducimus ordinationem tam Ecclesiasticam, quam Politicam Ducatus Magdeburgensis, ubi *ordinatio Ecclesiastica Cap. 3. §. 11. ita disponit:*

Die Gastereyen bey denen Kind-Taufen in Städten und auf denen Dörfern werden hiermit und aus genugsam erheblichen Ursachen gänzlich verbothen ꝛc. ꝛc. dargegen auch das so genannte Pathen-

then-Geld und andere bißher gewöhnliche Geschencke gäntzlich abgeschaffet seyn sollen.

*Et ordinatio Politica Cap. 40. §. 4.*

Nachdem wie bey dem Kind-Taufen die Gastirungen zumahlen bey unvermögenden geringen Leuthen abgestellet; So sollen dagegen auch nebst dem **Pathen-Gelde und Geschencken aufs Bette** die Gevatter-Stücken von Marcipan und Bildern auch aller Confect, Kuchen und Mandel-Dorten, ingleichen die Gastereyen bey dem Kirch-Gange verbothen seyn.

§. III.

Quis ex hoc non judicabit, pecuniam lustricam in allegatis constitutionibus manifeste remunerationis nomine venire, qua sumtus baptismales, quos in convivio impendit pater infantis, remunerantur, adeoque eos cum pecunia lustrica simul prohiberi.

§. IV.

Quis etiam erit, qui non intentionem patrinorum ex eodem fine colligat? quodsi propter hunc finem offerant pecuniam lustricam, cessante **dem Gevatter-Kuchen**, etiam cessare debeat munus illud, & si offerantur ab illis etiam non accipiatur, imo patrini in tempore certiores ea de re redduntur, ne dona mittant vel offerant.

§. V.

Quod autem ad dispensationem & restringendi modum horum munerum attinet, id certum est, paren-

rentes, imprimis pauperiores, optime ſcire, cui uſui deſtinata ſint hæc munera, quippe ſtatim poſt ſolennitatem baptiſmalem ad ſolvenda, quæ ad excipiendos patrinos comparanda fuere eſculenta & potulenta, expendere ea ſolent, quæ praxis in viridiſſima eſt obſervantia.

§. V.

Si itaque hic pecuniæ luſtricæ finis ſit, ſua ſponte inde fluit concluſio, non liberis eam, ſed parentibus acquiri, & per conſequens *reſtrictam liberorum diſpoſitionem in pecunia luſtrica eſſe*, & ſi qua â parentibus in liberorum utilitatem aſſervetur pecunia luſtrica, vel in liberorum commodum expendatur, vel ad adultam usque ætatem liberis aſſervetur, id ex mera pietate & amore parentum provenit, non ex obligatione legali, quippe quæ hoc loco nullo modo demonſtrari, multo minus probari poteſt, & per conſequens liberis nullam tribuit diſponendi poteſtatem.

§. VI.

Accedit, quod, cum hæc dona parentibus tanquam peculium profectitium acquirantur, ſine ullo dubio & diſpenſatio eorum arbitrio poſita ſit. Proprietas enim involvit facultatem diſponendi de re pro lubitu.

§. VII.

Nec eſt, quod inferas, patrinos hæc dona offerentes intendere ad minimum ſecundario, ut parentes, ſi ea expendere velint dona, id faciant potius in utilitatem liberorum, quos ipſi ſuſceperunt, quam in alios uſus promiſcuos, e. g. ut ipſis emant libros, præcepto-

ribus ſalarium exinde præbeant, uti pie monet RADOV. *Cap. 2. §. 3. Diſſ. de pecunia luſtrica.*

§. IIX.

Etenim ſicut patrinis non vitio vertendum, ſi ejusmodi pias intentiones foveant: ita & concedimus, parentes recte facere, ſi eum in modum pecuniam expendant, ut liberorum utilitas inde promoveatur.

§. IX.

Verum de eo non eſt quæſtio, ſed potius an ad id, de quo jam dictum §. §. antecedentibus obligati ſint parentes? id quod in dubium vocamus, quia uti jam jam dictum nec ulla lex in medium afferri poteſt, qua parentes ad id teneantur, & ſic nec ſecundaria illa patrinorum intentio ejusmodi obligationem in parentes devoluere poteſt, quod in ſequenti capite de effectu reſtrictæ liberorum diſpoſitionis in pecunia luſtrica, monſtrabimus.

# CAP. IV.

## DE EFFECTV RESTRICTÆ LIBERORVM DISPOSITIONIS IN PECVNIA LVSTRICA.

§. I.

Cum in antea dictis ſatis ſuperque monſtratum fuerit, quod circa pecuniam luſtricam diſpoſitio non liberis, ſed parentibus competat, nunc paucis in hujus aſſerti effectum inquiramus, ubi *primus* effectus ſe in eo exerit, quodſi ſi pater

hac

hac pecunia lustrica aliquid lucretur, id solius patris fiat.

§. II.

Si enim proprietas & ususfructus ex *peculio profectitio, quale est peccunia lustrica per* FRID. LUDOVICI *in doctrina ff. tit. de pecul. §. 6. &* LAUTERB. *h. t. in fin. patri* solum competat, quia ipse in hoc peculio omnia, filius nihil habet, *§. 1. J. per quas person.* & pater rerum suarum arbiter & moderator sit; exinde facile elucescit quod ea, quæ hac pecunia lustrica lucratur, pleno jure capiat, nec filio rationem de ea reddere teneatur.

§. III.

*Alter effectus* hujus pecuniæ lustricæ in eo se exerit, quod filius per testamentum, pecuniam hanc lustricam in alios transferre non possit, etiamsi pater consentiat. *L. 6. ff. qui testam. facere poss.* tales enim tabulæ testamenti pro nullis habentur, quia activam testamenti factionem non habent *L. 19. ff. qui testam. fac. possunt*, quid quod accedit, quod quis in alium transferre non possit, quod ipse non habet. Ex quo *tertius* fluit effectus, quod scilicet liberis in baptismali seu lustrico dono nulla competat hypotheca.

§. IV.

Datur enim hypotheca in securitatem solvendi debiti. At pater ex sæpe allatis filio hic nihil debet, cum sibi pecuniam donatam acquirat. Ergo & filius nullam prætendere potest securitatem, nullam hypothecam, cui effectui reliqui correspondent, e. g. quod *quarto* vindicare non possint liberi pecuniam lustricam, si


ſi pater alienaverit, nec ſi adhuc extet, cum concurſus creditorum adverſus patrem moveatur, præ aliis creditoribus eam vindicare poſſint, ratio eſt in aprico, quia nullum dominium, nullam poſſeſſionem, nullam tacitam, nullam expreſſam in ea habent hypothecam.

§. V.

Quartus eſt, quod privilegium illud liberorum corruat, quod non ſubjaceat executioni, quam parentes in bonis ſuis patiuntur, de quo plura adducere neceſſarium haud erit

§. VI.

*Quintus* denique effectus eſt, quod mortuo parente liberi non poſſint exigere ab ipſo rationes uſusfructus & uſurarum, quas reddere cogeretur pater, qui non, niſi legitimus adminiſtrator huic pecuniæ præfuiſſet, adminiſtratoris enim bona ob id tacito pignoris nexu ſunt affecta *L. 20. C. de adminiſtr. tutel.* ut & de proprietate & uſu fructu rationes reddat & res cum fructibus reſtituat. *arg. L. 6. de bon. quæ liberis.* Hæc pro inſtituti mei ratione dicta eſſe ſufficiant, qua de cauſa diſſertationes meæ hic eſto.




FINIS.

